



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus XIX. De Probationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62656)



TITVLVS XIX.

De Probationibus.

R Eō non confitente, intentionis suæ probatio exigitur ab Actore: in qua, si deficiat, reus absolvitur, c. fin. §. Sane, de Jurejurando; quod non probata pro non gestis & non existentibus habeantur, l. In lege 77. ff. de Contrab. empt. Jure non tam deficiente, quam non apparente, arg. l. Sunt duo 30. ff. de Testam. tut.

ARTICVLVS I.

De Probatione in genere.

SUMMARIUM.

1. Definitio Probationis:
2. Qua plerumque de factis,
3. Eoque dubio seu iudici non manifesto est.
4. Dividitur in Artificialem & Inartificialem:
5. In iudicialem & Extrajudicialem:
6. Plenam & Semiplenam.
7. Harum dua unam plenam non faciunt.
8. Nisi in Civilibus & non arduis causis.
9. Probare Actor:
10. Imò & Reus, in actoris præjudicium aliquid affirmans:
11. In iudiciis Communibus,

12. Et retinenda Possessorio uterque debet.
13. Probationem, qui negat, aliquando utro,
14. Aliquando iudicis præcepto subit:
15. Præsertim cum contra ipsum pro adversario stat præsumptio Juris.
16. Aut hic est persona privilegiata.
17. Probari potest ac debet Negativa Juris,
18. Et qualitatis, qua communiter & naturaliter inest:
19. Uti & Negativa facti, si sit prægnans,
20. Vel ad circumstantias coarctata.
21. Non etiam si sit omnino indeterminata.
22. Pactum de non utendo certâ probatione,
23. Eique adjectum juramentum serè nullum est.

Probationis nomen ambiguum est; aliquando enim alicuius rei experimentum, siue explorationem; aliquando de probitate siue rectitudine iudicium: aliquando veritatis, quæ in dubium vel controversiam vocatur, ostensionem significat. Postremò hoc, & in Rubrica nostrâ sensu, accepta probatio est Actus iudicialis, quò de re aut factò aliquo dubio & controverso per testes, instrumenta, aliæque idonea argumenta iudici fit fides. Ita eam ad hanc

R r 3 Rubricam

Rubicam definiunt Hostiensis in *Summa*, n. 1. & Wefenbec. in *ff. hęc Rubr. n. 2. De falso*, inquam, & *Dubio*.

Prius; quia ea, quæ consistunt in facto, iudici ferè incognita sunt, nisi probentur, c. 1. de *Constitut. in 6.* Non ea, quæ sunt Juris; quia, ut vulgò loquuntur, Jus, cum per se notum sit, non indiget probatione; cum leges, ex quibus causæ decisio pendet, scire & secundum eas pronuntiare, iudicem oporteat, etiam si à litigantibus non allegentur: & ab his perperam allegatis se non accommodare, *arg. Rubr. & text. l. Unica C. Ut, quæ defunt advocatù, partium, iudex suppleat*: Nisi, ut hodie non infrequenter, aliquid esse negetur, aut à iudice ignoretur, ut plerumque usuvenit in Jure non-scripto seu consuetudine; cum enim hæc, saltem quoad introductionem suam, sit quid facti, c. 1. *cit.* atque etiam peritissimos latere possit, l. *In omni 2. ff. de J. & F. J.* si notoria non sit, ab allegante etiam ipsa probanda est, Menoch. de *Præsumpt. Lib. 2. præf. 8. n. 7.* Mascardus de *Probat. conclus. 423. n. 24.* & aliis relatis Barbosa in c. *Cum dilectus 8. de Consuet. n. 16.*

3. Posterius sive de *Dubio*; quia manifesta non indigent probatione, *can. manifesta, 2. q. 1.* saltem ipsi iudici. Non etiam, si manifesta sint soli litiganti; quia huic id, de cuius probatione laborat, manifestum esse posse, liquet ex l. *Cives 11. C. de appellat.* quâ his appellandû aseritur, ut ad manifestarû excusationû probationem admittantur: & ex usu quotidiano, quò à litigantibus sæpe, ad fidem de facto proprio faciendam, produci testes, edi instrumenta, juramenta præstari, videmus. Quin aliquando adstringitur ad probationem facti, ipsi etiam iudici manifesti, si huic id, non ex allegatis & in iudicio probatis, sed privatim innotuit & adversa pars inficietur, Perez in *C. de Probat. n.*

1. & Haunold. *Tom. 5. de J. & F. tract. 4. n. 8.* sic declarata.

Probatio imprimis, secundum Aristotelem in *Topicis* alia Artificialis est, quæ arte & industriâ probantis comparatur: ut sunt quæcunque ex ipsa causa & facti circumstantiis desumptæ demonstrationes & præsumptiones: Alia Inartificialis, quam probans ad fidem faciendam extrinsecus assumit; ut sunt testes, instrumenta, jusjurandum.

Deinde, alia Judicialis, alia Extrajudicialis: quarum illa post litis contestationem in ipso iudicii processu; ista extralitem & ante istius in iure contestationem fit, v.g. cum ad perpetuam rei memoriam, aut ne testium morte, absentia oblivione probationis copia pereat, illa non contestatâ, eorum depositiones recipiuntur, juxta dicta *Tit. 6. à n. 15.*

Demum, celeberrimâ apud DD. & in Scholis Foròque usu receptâ partitione, Probatio alia Plena est, alia Semiplena.

Plena & perfecta dicitur, quâ de re controversa tanta fides iudici fit, ut eâ solâ instructus controversiam definire & pro probante sententiam ferre possit. Cujusmodi probationes sunt Confessio Judicialis, ad præcedentem *Rubicam* explicata: quæ, quia vi sua cæteras probationes superat, probatio Probatissima & Plenissima vocari solet: licet re ipsa à probandi onere relevatio potius, quàm vera probatio sit, ut ad hanc *Rubicam* notat Decius n. 4. & Jason in l. *Cum te 5. C. de Transact. n. 10.* Evidentia facti, sive hanc inducens inspectio ocularis, de qua infra sermo redibit. Testimonium duorum, sive super uno eodémque articulo consentiens depositio duorum testium, omni exceptione majorum: Instrumentum publicum, & huic quoad probandi vim æquiparata scriptura Authentica: Præsumptio

sumptio Juris & de Jure, & quandoque etiam alia: Juramentum, quod à parte litigante sibi delatum pars adversa præstat: quas quatuor plenæ probationis species declarabimus ad totidem Rubricas sequentes.

Semiplena sive imperfecta probatio est, quæ licet de ejusmodi re aliquam, tantam tamen fidem non facit; ut iudex ex ea sola controversiam definire & probante pronuntiare possit. Cuiusmodi probatio est Confessio extrajudicialis, præsertim adversariò, sed obligationis causâ non expressâ: vel parte adversa quidem absente, sed illius causâ expressâ facta, duorumque testimonio in iudicio probata, iuxta dicta *Tit. præcedenti, n. 34.* Huiusmodi sive semiplenæ probationes etiam sunt Depositio unius legitimi sive omni exceptione maioris testis, vel etiam eiusmodi plurium quidem, sed singularium, & duorum, imò aliquando plurium testium non legitimatorum, sive omni exceptione non maiorum: Instrumentum sive scriptura privata: Juramentum, quod suppletorium nuncupatur: Præsumptio verisimilis sive probabilis, de quibus ad quatuor Rubricas sequentes:

Fama, de qua præsentem agemus à n. 31.

7. Dubium nunc primò est, an duæ probationes diversi ordinis, v.g. unus legitimus testis cum fama publica, scriptura privata cum iuramento, faciant unam plenam. Non facere in causis arduis, ut sunt Criminales, quibus de hominis vita & membris, aut alia valde gravi pœna infligenda: & Matrimoniales, quibus ad matrimonii dissolutionem agitur, satis est receptum; quòd in his propter maximum præjudicium, quod sententia condemnatoria affert, omnino liquidæ & ipsâ luce meridianâ clariores probationes exigantur, ut reus condemnatur, *l. fin. C. hic, Glossa in c. Veniens 10. V. Illorum, de*

Test. & attest. ubi Panorm. n. 8. Clarus §. fin. q. 21. n. 1. & Menochius Lib. 1. præsumpt. p. 8. n. 1.

8. An autem unam plenam faciant in Civilibus & minus arduis causis, dubitandi ratio est; quòd duo imperfecta non faciant unum perfectum. Sed ratio hæc levis est; quia plura imperfecta unum perfectum constituere possunt, quando ad unum eundemque finem, ut paries & tectum ad unam domum perficiendam, conferunt & tendunt. Cum ergo unius legitimi testis depositio simul & fama publica, scriptura privata & jusjurandum, quando unam eandemque rem ostendunt, de eaque fidem faciunt, ad unum finem tendant, in Civilibus, & Criminalibus etiam, quibus de pecuniaria, aut alia non gravi pœna infligenda agitur: imò etiam in aliis causis, quæ valde difficilis probationis sunt, plenam fidem iudici faciunt de re, quam litigantium alter affirmat; ut adeò locus sit trito, *Quæ non probant singula, plura juvant, Glossa in c. Cum causam 13. V. Adminicula, ubi Panormit. n. 2. Felinus n. 10. & cit. Menoch. Præsumpt. 41. à n. 1.*

9. Dubium secundò est, cui incumbat onus probandi. Videri enim primò intuitu potest, solius actoris, si litem obtinere velit, esse, probare suam intentionem & causam, ex qua agit, puta dominium vel quasi, aut jus in re, si Reali: vel, si Personali actione rerum conveniat, istius obligationem & contractum vel quasi, delictum vel quasi, ex quo obligatio & agendi ius est ortum, *l. Frustra 8. §. l. Actor 2. C. hæc Rubr. cum generale sit, actore non probante, reū, etsi nihil præstiterit, absolvendum §. Sane cit. l. Accusare 4. C. de Edendo §. l. fin. C. de R. V. Verum esto hoc ita sit,*

Regulæ tamen instar à DD. tradi solet, in quibuscunque, tam Civilibus, quam Criminalibus causis, probandi onus incumbere

numbere illi, qui circa rem controversam & in iudicium deductam, in alterius præiudicium aliquid asseverat, *l. Et incumbit 2. junctâ Glossâ V. Eodem, ff. hie. Actor*, quando se fundat in aliquo facto, quod reus negat, vg. donationem, legatum, cum rei dominium donatione vel legato quæsitum asserit: numerationem pecuniæ, cum ex mutuo agit: homicidium, cum ex eo crimine ad vindictam publicam agit, vel proprium interesse persequitur. Reo, cum actori exceptionem opponendõ, aliquid, quod iste negat, vg. instrumentum donationis falsum, aut nullum esse testamentum, quod res donata dicitur vel legata: solutam pecuniam, quæ ex contractu debita erat: eum, qui occisus est, fuisse aggressorem, *l. 1. l. In exceptionibus 19. ff. hie.* ubi propterea reus, affirmativam exceptionem opponens, quoad eam pro actore habetur, Speculat. *Tit. de Probat. §. 1. n. 10. Mascard. de Probat. Proem. q. 17. n. 5. & Haunold. tom. 5. de J. & J. Traçt. 4. n. 24.*

Neque cum his pugnat; quod reus probandi onere non adstringi asseratur, *l. Actor cit.* quia hoc verum est de eo, quatenus est reus: non etiam, quatenus est actor: cujus rationem habere incipit, quando actori vg. donationem, legatum, pecuniæ numerationem, eadem probanti, ad elidendam ejus intentionem & suam defensionem excipiendõ, instrumentum vel testamentum nullitatis arguit aut falsitatis: vel pecuniam solutam: aut, qui occisus est, aggressorem fuisse, asseverat, *l. 1. & l. In exceptionibus cit. Perez in C. hie, n. 8. & Haunold. l. cit. n. 26.*

II. Ob eandem rationem in Communibus, sive, ut *§. Tertia 7. V. Duplicia Instit. de Interdict.* vocantur, Duplicibus judiciis, cujusmodi sunt *Familia herciscunda, Communi dividendo & Finium regundarum,*

probandi onus incumbit utrique, actori & reo, *c. Ex literis 3. & l. Inter 44. §. 4. ff. Famil. hercisc.* cum enim in his judiciis uterque adversus alterum hereditatis aut rei communis partem aliquam sibi datis, vel confinium agrorum terminos, si moti, seu mutati fuerunt, reponi, aut, si nunquam constituti sunt, de novo poni petat: & conveniat simul atque conveniatur, sive actor & reus sit uterque, probandi onus Jure imponitur utrique, eò tamen discrimine; quod is, qui prior ad iudicem provocavit, sicut jurare de calumnia, sic etiam probationes suas tanquam principalis actor prius debeat asserere, per text. & Glossâ in *l. In tribus 13. V. Videri actorem, ff. de Judiciis, ubi alii DD. relatis Bruneman. n. 2. ne aliàs causâ & processus confusio oriatur.*

Simili modõ, cum *Uti possidetis*, sive retinendæ possessio Insuperdictum intratur; quod eandem rem in solidum à se possideri, litigantium uterque contendat, & in ea pacificè conservari petat; ac proinde actor & reus uterque sit, probatio eòdem ordine ab utroque exigitur, *c. Licet 9. hie, Pacianus de Probat. Lib. 1. cap. 60. n. 11.*

Regula tamen ista non unam patitur exceptionem, & casus, quibus aliquid affirmans probandi onus in adversarium transfert: & Imprimis quidem, si reus negans juris sui fiducia id ultro subeat, Glossâ in *can. Accusator 2. V. Eodem, §. 5. & Speculat. cit. §. 1. n. 12.* cum juri suo valeat renuntiare, *c. 1. de Restit. Spoliat. & l. Circa eum 14. V. Si quis autem, ff. hie.* Quò tamen casu, si in probatione reus defecerit, non eò ipsò condemnandus, sed potius absolvendus est, si in ea defecerit actor, ex generali Regula, quâ *Actore non probante reus, etiamsi nihil praestiterit, solvitur, §. Sandè cit.* cui reus, ad probationem se offerens, renuntiare non tenetur.

setur, nisi ad amissionem causæ expressè se obligarit, Glossa in *l. Circa cit. V. Juris*, Innocentius in *e. Ex conquestione 10. de Restit. Spoliar. n. 3. & cit. Pacianus cap. 69. n. 3. & 4.*

14. Secundò, si aliquid asseverantis adversario probandi onus ex justa causa imponat iudex, propter sufficientis probationis inopiam ipsi deferens juramentum, quod Suppletorium nuncupatur, & ab eo delatum reus si referre nolit, suscipere debet, *l. Manifesta 38. ff. de iurejurando*, & prælitum probationis loco habetur: vel Purgationis, quod à reo criminis iudiciis prægravatò recusari, quin illius reus habeatur, non potest, *cit. Speculat. n. 12. Prælitum autem criminis accusationem*, & ex ista ortam infamiam tollit, *can. Habet, 12. q. 5. & c. Ex tuarum 8. de Purgat. Canon. ut ad hanc Rubric. à n. 1. plenius tradetur.*

15. Tertio, si v.g. pro actore, in adversarii præjudicium aliquid affirmante, iter præsumptio Juris; quia hujus ea vis est, ut eum, pro quo militat, à probandi onere releveret, & hoc transferat in adversarium, contra quem præsumptio est, textus & Glossa, in *c. Unic. V. Actore non probante, Ut Benef. sine diminut. l. Generaliter 24. §. 8. in fine. ff. de fideicommiss. libert. & l. fin. pr. ff. Quod metus causa*, quæ contra hujusmodi præsumptionem apertissimæ probationes exiguntur. Sic enim Parochus, decimas ex prædiis, intra Parochiæ suæ fines sitis, tanquam sibi debitas petens; & Episcopus, Ecclesiam vel Monasterium, intra suam dicecesin sita, sibi subiecta affirmans, probandi onus rejiciunt in adversarium, hæc Episcopo subiecta, & illas Parocho debitas negantem, propter præsumptionem Juris, pro Parocho & Episcopo militantis, *c. Cum dilectus 8. de Relig. domib. & c. Ad decimas 2. de Restit. Spoliar. in 6.* Sic, quamvis pe-

cuniam indebitè solutam asserens; quòd ea indebita fuerit, probare debeat, casu tamen, quòd eam solutam reus conventus negat, & actor probat, propter præsumptionem inde ortam, & pro isto contra reum militantem, huic eam sibi debitam, & non actori, eam indebitam fuisse, probandi onus incumbit, *l. Cum de indebito 25. ff. h. c.* Sic etiam mulier ea, quæ constante matrimonio acquisivit, à marito profecta negans, id probare debet, propter favorem Juris, ea ex mariti bonis quæsitæ, præsumptis, *l. Quintus 51. ff. de Donat. inter vir. & ux. cit.* Glossa, *Speculat. n. 11. & Pacianus cap. 8. n. 1.*

16. Quarto, si actor sit persona privilegiata, v.g. pupillus, minor, mulier, miles, agricola, aut alius simplex & rerum forensium imperitus; & indebitum solutum queratur ac repetat, non id indebitum hujusmodi persona, sed is, cui solutio facta est, quod accepit, sibi debitum fuisse, probare debet, *l. Cum de indebito cit. §. 1. Menoch. de Arbitr. casu 104. à n. 41. & Haunold. cit. Tract. 4. n. 28.* Eòdem modò minor, si à rei immobilis venditione majori facta recedere volens prætentat, non intervenisse decretum judicis, hujus solennitatis, non ipse defectum, sed interventum probare major debet, *l. Quæcunque 13. §. fin. ff. de Publ. in rem act. ubi Bruneman. n. 1. & cit. Haunold. n. 29.* Ex dictis oritur

17. Dubium tertium, an ergo probari possint negationes. Ratio dubitandi est; quia non entis nullæ sunt causæ, differentia, proprietates & qualitates: ex quibus, sicut definitiones, ita etiam probationes desumuntur: propter quam causam, factum negantis per rerum naturam nulla probatio esse dicitur, *l. Actor 23. C. h. c. & c. Bone 23. de Elect.* Cui rationi ne nihil aut nimum tribuatur, cum Glossa in *c. cit. V. Per rerum naturam & in l.*

S s

Et in-

Ei incumbit *cit. V. Eodem*, inter tres Juris, Qualitatis & Facti negationes est distinguendum: quarum

Prima sive negativa Juris, quæ aliquid Jure fieri posse, aut factum, *vg.* aliquem in judicio stare, alienare, vel testari posse: vel clericum, aut rite ordinatum: Religiosum, aut validè professum: Electionem canonicam: alienationem, vel testamentum validum esse, negatur, ab eo, qui eam proponit, probari potest ac debet, *l. Ab ea parte 5. ff. hic, cit.*, Speculat. *n. 6.* & Pacian. *cap. 36. n. 27.* partim; quia negans, aliquid Jure fieri, factumve, implicitè aliquid affirmat, scilicet Juris prohibitionem, Glossa, *cit.* partim; quia, quæ sunt de genere communiter permissorum, licita & legitime facta esse præsumuntur, donec contrarium appareat, vel probetur. Secus est in iis, quæ sunt de genere generaliter prohibitorum, ut *vg.* homicidium; hoc enim licitè factum negans, non ipse: sed, quò Jure permissum sit, ostendere ipsius adversarius debet, ut cum Cyno in *l. Actor cit.* & aliis rectè monet *cit. Pacian. n. 28.*

18. Altera sive negativa Qualitatis, quæ homini communiter & naturaliter inest, *vg.* aliquem mentis compotem, legitimum, sobrium, pacificum, probum, ad coitum potentem esse, probari potest ac debet ab eo, qui eam allegat, & intentionem suam fundat in ejus negatione, *arg. l. Ex persona 3. C. hic;* quia qualitas, quæ communiter & naturaliter inest, homini adesse à Jure semper præsumitur, nisi contrarium probetur, Glossa in *6. Si forte, 11. V. Scientia, de Elect. in 6. cit.*, Speculat. *n. 7.* & Pacian. *n. 24.* Alia ratio est qualitatis, quæ accidentaliter & non communiter inest, *vg.* aliquem Nobilem, sacre Theologiæ, aut Jurium Doctorem esse; istius enim, cum de promotione, vel admissione agitur, non negativa, sed affir-

mativa propositio probanda est ab allegante; quòd, si non probetur, adesse non præsumatur *arg. l. Magistros 7. C. de Profess. & l. Unica C. de Prof. Urb. Constant.* Glossa *cit.* Innocent. in *e. fin. de Presumpt. n. 3. & 6. & ibi Baldus n. 11. De promovendo*, inquam; quia, si de eo, qui promotus, aut ad collegium, vel munus admittus jam fuit, removendo ageretur, ejusmodi etiam qualitatis negatio probanda esset; quòd admittus sit in ejus possessione, probandi onus in adversarium transferente, Baldus *cit. n. 11.* & Pacian. *num. 32.*

Tertia, sive negativa Facti, quæ aliquid factum negatur, vel est prægnans: vel coarctata, hoc est, ad loci, temporis & similes circumstantias determinata: vel omnino indeterminata. Quarum prima, sive prægnans dicitur, quòd implicitè in se contineat propositionem affirmativam, ut, si quis neget, se liberè matrimonium contraxisse, sponte renuntiasse beneficium, testatorem sanæ mentis fuisse, in potestate patris esse; hæc enim negans implicitè vim metumve, furorem, emancipationem affirmat: quæ probari possunt & debent à proponente, *6. Super hoc 5. de Renuntiat. c. fin. V. Nos casum, de Success. ab intest. l. Si filius 8. ff. hic, Glossa in e. fin. cit. V. Compotem, cit.*, Speculat. *n. 3.* & Pacianus *cap. 36. à n. 19.* Altera, sive ad circumstantias, in quibus factum negatur, coarctata & determinata &c. à reo, *vg.* contractum Augustæ celebratum, vel homicidium ibi perpetratum, negantes probari potest saltem indirectè, *vg.* per testes asseverantes, eum tempore, quò contractus initus, vel homicidium perpetratum Augustæ dicitur, alibi *vg.* Viennæ fuisse, deponentes, *c. Ex renore 3. de Test. & Testi. & l. Optimam 14. V. Exp. inter, C. de Contrab. Stipul.* Glossa in *e. Bona & V. cit.* ubi Panormit. *n. 13. cit.* Speculat.

- Speculat. n. 3. & Pacian. cap. 37. n. 24.
21. Tertiam, sive negativam omnino indeterminatam & puram, vg. mutuum non accepi, non occidi, non sum citatus, hęc ipsę, quod sub sensu cadere nequeat, per testes aut instrumenta probari non posse, evincit ratio dubitandi adeo; ut testem, qui de pura negativa deponere præsumeret, tanquam falsum, aut de falsitate suspectum, repellendum, velint Panormit. in c. Cum Ecclesia 3. de Causa possess. & propr. n. 19. & Baldus ibid. n. 7. Fides tamen de ejusmodi negativa fieri potest per confessionem, c. 1. de Confess. in 6. vel iurandum ipsius negantis, c. Quoties 5. de Simonia, vel per præsumptiones, quod verè negarit, c. Tertio 5. hęc, Panormit. in c. Bone cit. n. 13. & sibi Laiman. n. 9.
22. Dubium quartò, & occasione pactorum nuptialium, magnà partium contentione agitata controversia quondam fuit de valore pacti, non utendi certò genere probationum sive; ut vg. in aureorum annulorum, torquium & aliorum cimeliorum, ab uno conjuge alteri datorum, repetitione, solutò matrimonio, non aliam, quàm, quæ per instrumenta, vg. inventarium sit, probationem adhibendi. Quod pactum, si ita in initum sit, ut superstes illa duntaxat restituere teneatur, quæ in inventario sunt descripta, mihi, salvò meliori iudicio, valere: & ea, quæ in inventario expressa non sunt, superstici relicta videntur per donationem morte confirmatam.
23. Si autem superstes vi ejusmodi pacti ad omnia, quæ accepit, restituenda obligetur, pactum adversus eum solà probatione per instrumentum, aliis probationibus vg. testibus, qui de re plenam fidem facere possent, non admissis, utendi invalidum, cum Speculat. cit. §. 6. n. 4. unò orq̄ pronuntiant DD. teste Fagnano in c. Sicus 2. hęc n. 15. quòd bonis moribus ad-

versetur, & difficiliorem reddat terum, vg. acceptarum & restitutioni obnoxiarum, probatione atque injusta earum retentionem expeditiorem. Juramentum autem, hujusmodi pacto adjectum, illicitum quidem, sed de relicta, ac proinde in ius ejus, quod de usuris solvendis fœneratori præstatur, obligatorium esse, arg. c. Debitores 6. de Jurejurando contra cit. Fagnanum n. 16. defendit Haunold. cit. Tract. 4. n. 74. quòd, cum tale juramentum sine peccato & tertii præjudicio valeat observari, in eo locum habeat Regula c. Cum contingat 28. de Jurejurando & c. Quamvis 2. de Pactis in 6.

Mihi cum laudato Fagnano, sicut pactum simplex, ita etiam adjectum ipsi juramentum viribus carere, omnino videtur; quòd bonis moribus & bono publico adversetur, cum; quia ad rei, restitutioni obnoxia, injustam retentionem faciliorem reddendam tendit: quod contra bonos mores non minus est, quàm remissio actionis doli aut furti committendi in aliena administratione: quæ sicut viribus caret, l. Si unus 27. §. 3. & 4. ff. & l. Pacta 6. C. de Pactis, ita irritum est adjectum ipsi firmandæ juramentum, per Reg. Non est obligatorium 58. in 6. & arg. c. Quemadmodum 25. §. Illud, de Jurejurando, tum verò; quia, sicut pactum simplex, sic adjectum ipsi juramentum spectat occultationem veritatis, quam in iudicio elici publicè interest, arg. c. Caterum 5. de Juram. calumn. publicæ autem utilitati adversantia pacta, etiam jurata, irrita sunt, l. Jus publicum 38. ff. de Pactis & c. Si diligenti 12. de Foro compet. Unde in contrarium allata corruunt, & ejusmodi pacto ac jurejurando non obstant, cum deficiunt instrumenta, ea, quæ accepta & restitutioni obnoxia sunt, aliis legitimis probationibus, vg. testium non tantum quin-

que, juxta l. *Testium* 18. C. de *Testib.* & concedit Haunold. n. 79. sed etiam duorum vel trium, omni exceptione maiorum, depositionibus ostendi possunt.

ARTICULUS II. De Probatione per Inspectionem ocularem.

SUMMARIUM.

24. Frequens in *Judicii* usus est hujus inspectionis:
25. Quae peragenda est auctoritate judiciali.
26. Citatis partibus, & plerumque adhibitis aliis personis.
27. Rite peracta optima probatio est.
28. Humani corporis inspectio sere indecora est, & saepe fallax.
29. In causis tamen Matrimonialibus aliquando adhibenda est.
30. Sive Jus, sive ratio spectetur.

24. **A**D casuum in iudicium deductarum expeditionem non raro adhibetur, & saepe plurimum confert inspectio rei ocularis & fama: quarum proinde specialem generali Probationum explicationi subijcere, & Decretalibus proposito earum quaternario praemittere juvabit.

Inspectio itaque ocularis est Probatio, qua per ipsam rei, in aut extra iudicii locum oculis subjecta, intuitionem de re dubia & controversa iudici fit fides; sic enim, cum caedum, aut vulnerationum causa in iudicium veniunt; cum, ob novi aedificii structuram, aut veteris immutationem, novi operis nuntiatio fit, aut a ruinosis vicini propriis aedibus damnum timetur, istiusque infecti petitur cautio; cum de fundi, Parochiae,

oppidi, territorii finibus, seu limitibus inter aliquos contentio est: cum, ob conjugum alterius impotentiam, ad matrimonii dissolutionem agitur &c. ad ocularem inspectionem, tanquam veritatis investigandae, viam caeteris expeditiorem, & aliquando omnino necessariam, recurri solet.

Ea autem, ut ad causae definitionem proficiat, peragenda Imprimis est a iudice competente, per se, vel per aliam idoneam personam, quae ipse vices gerat, adhibito iudicii notario. Deinde, citatis partibus litigantibus: quibus etiam prius auditis plerumque decernitur; quia de Jure ad actum vocandi sunt omnes, quorum interest, l. *De unogquoque* 47. pr. ff. de *Re judic.* partium autem, inter quas controversia, ocularis inspectionis auxilio decidenda, vertitur, utriusque, ei praesentem esse ad causae solutionem, plerumque interest. Nisi tamen iudex, ejusmodi inspectionem tantum suscipiat ad se informandum intrinsecumque; tali enim casu partis citationem non necessariam, cum Felino in c. *In nomine* 2. de *Test. & attest.* n. 2. & Maranta de *Ord. judic.* p. 6. de *Citatione*, n. 20. tradit Gaill. *Lib.* 1. *observat.* 26. n. 10. Demum, adhibendae ad eam plerumque sunt aliae personae, ut aliquando testes, ad rem iudicis oculis & accuratiori examini declaratione aliqua subijciendam, a parte litigante producti: rei specialiter periti, puta medici & chirurgi, ad cadaveris & vulneris, obstetrices & aliae honestae matronae ad muliebris corporis, architecti ad ruinosi aedificii aut novi operis, agri mensores ad fundorum & limitum controversorum inspectionem &c. itaque, de eo, quod verum esse cognoverint, sincerè edicendo, deferendum est iuramentum: nisi hoc generaliter praestitissent in officii susceptione, aut ea

aut ejus, quam profitentur Artis, ut loquimur, jurati sunt Magistri, Engel ad hanc Rubric. n. 12.

27. Ita factam inspectionem ocularem, ex eaque ortam facti evidentiam aliqui, perinde ut judicialem confessionem, è propriè dictarum probationum numero eliminant; quòd etiam ipsa non minùs, quam ista, probandi onere relevet; cum judicis oculis subijciat ipsam veritatem, ad quam manifestandam probatio in judicio exigitur & adhibetur. Alii verò, eam non solum probationem esse, ajunt, sed optimo cuique istarum generi accensent: imò probationum omnium validissimam, uno ore pronuntiant, arg. l. Si irruptione 8. in fine ff. Fin. regund. & l. Pedicula 32. §. 5. ff. de Auro & arg. legato, Gaill. cit. observat. 26. n. 9. quòd etiam, cum lege vel statuto aliæ probationes non admittuntur, ex facti evidentia & oculari inspectione desumpta demonstratio non rejiciatur, ut cum Baldo ac Salicero in l. Si quis 17. C. de Testibus tradunt Mascardus de Probat. Proem. q. 8. n. 9. & sententiam, de cuius iniquitate per facti evidentiam constat, in rem judicatam non transire, cum eodem Baldo in l. 1. C. Sent. rescindi non posse, idem notat num. 16.

28. Oculari hac inspectione facti seu rei evidentia frequenter, non tamen semper obtinetur; quòd sæpè fallatur oculus, & ejus, quæ investigatur, veritatis certa indicia desiderentur; ut ad plenam de re fidem judicis faciendam & ferendam sententiam circumspectione maxima & aliunde adictis argumentis sit opus; ne fallentis oculi iudicis deceptus, quam non satis providè tulit, se postea prodente & comperta veritate, retractare compellatur. Ubi

Dubium est, an ad matrimonialis causæ faciliorem definitionem humani corpo-

ris inspectionem liceat adhibere, Ratio dubitandi est; quòd tales inspectiones non solum indecoræ, sed dubiæ quoque & incertæ, sæpèque fessellissè deprehensæ sint, juxta illud S. Cypriani, Nec aliqua puret, se hac excusatione posse defendi, quòd inspicere & probari possit, an virgo sit; cum & oculus & manus obstetricum sæpè fallantur, can. Nec aliqua, 27. q. 1. ut non immeritò Syagrius Episcopus, quòd Virginis inspectionem fieri iussisset, à S. Ambrosio acerba correptione fuerit reprehensus, Lib. 8. Epist. 68.

Ratio hæc, ad inspectionem illam non facillè deveniendum, omnino persuadet. Ejus tamen usum non aliquando licitum, aut necessarium, non evincit; cum, licet ei locus non sit, quando impotentia signa omnino evidentia certaque, aut saltem verisimilia habentur: neque etiam statim, quando ea sunt dubia; quia his casibus aliquando matrimonium sine ulla alia probatione dissolvendum: aliquando rei veritas delatione juramenti, aut huic accedente triennalis cohabitationis experimentò investiganda est, juxta formam, c. Laudabilem 5. de Frigid. & malef. præscriptam & declarandam Lib. 4. Tit. 15. à n. 49.

Ei tamen locus, imò eà aliquando opus est, quando, cohabitationis & experientia trienniò exactò, unius impotentiam alter negat, alter affirmat: vel fatetur quidem uterque, sed eam ex viri debilitate aliòve defectu mulier, aut ex istius arctitudine provenire vir contendit; his enim casibus ejus, cujus impotentia dubia est, corporis inspectionem: si id muliebri, per obstetrices aliàsve honestas matronas: si virile est, per medicos & chirurgos faciendam approbat Jus, can. Quod si, 27. q. 1. c. Fraternalitatis 6. c. fin. de Frigid. & malef. c. Proposuit 4. c. Causam, 14. hic: quò & can. Quod si cit. textu ejusdem mulieris iterata in-

rata inspectio est præcepta. Ratio solida est; quia causa, quibus de conjugio dissolvendo ob alterius impotentiam, & de ista probanda agitur, gravissima sunt, propter maximū præjudiciū & periculum animæ, quod, præter alia haud sanè levia incommoda, matrimonii validè initi dissolutio, aut invalidi approbatio affert: & judicem obligat, ut, quā veritas investigari & manifestari potest, diligentiam nullam omittat, ut in *c. fin. cit.* cum Glosa *fin.* Hostiensis n. 2. Panormit. n. 5. Alex. de Nevo n. 15. & Interpp. cæteris observant Brunellus de *Sponsal. conclus.* 28. n. 2. Pacianus de *Probat. lib. 2. cap. 1. n. 28.* & alii apud Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 107. n. 1.* rectè monentem, in matrimonii valore & nullitate investiganda, propter singularem negotii arduitatem, cautelam maximam & quascunque possibiles probationes adhibendas. Cùm ergo, an femineum corpus post diu continuatam experientiam integrum, violatūmve; an id, aut virile ad actus conjugales habile, aut secus, sive impotens sit, ejus inspectione & contrectatione etiam deprehendi sæpè possit, deficientibus, quæ rei veritatem patefaciant, probationibus aliis, ad obstetricum, medicorum, chirurgorum peritiam & explorationem recurrere, est necesse.

30. Neque in contrarium urget ratio dubitandi; quia inspectionis indecentiam tollit necessitas & periculum animarum, imminens ex conjugii non satis circumspecta dissolutione, approbatione: & licet medicorum peritia, obstetricum oculus, manusque aliquando fallantur, earum tamen exploratione impotentiam frequenter detegi, & probabilia saltem ejus indicia deprehendi, communis DD. sensus & usus docet. S. Ambrosio, si contrarius sit, prævalet in contrarium al-

legati D. Cypriani aliorumque PP. & SS. Pontificum Authoritas atque Ecclesie perpetua Praxis. Sed nec ipse adversatur, quia *l. cit. de inspectione* Monialis, non conjugis: eaque non ad impotentiam & ex ista provenientem matrimonii nullitatem detegendam, sed alio fine adhibita agit, Gonzalez in *c. Proposuisse cit. n. 10.*

ARTICULUS III.

De Probatione per Famam.

SUMMARIUM.

31. *Fama alia Hominis dicitur, alia inter homines:*
32. *Qua, ut in dubio probet, ipsa probanda est,*
33. *Per duos testes legitimos,*
34. *De publico & communi sensu dependentes,*
35. *Vel per instrumenta.*
36. *In Criminalibus ferè neque ad penam, neque ad torturam;*
37. *Ad inquisitionem tamen & purificationem Canonicam sufficit.*
38. *In Civilibus plerumque probationis semiplene:*
39. *Aliquando ipsa majorem,*
40. *Aliquando minorem vim habet.*

Fama alia Hominis, alia Inter homines esse dicitur. Illa concernit & auget hominis honorem: & si bona, opponitur infamie: si mala est, minuit existimationem, & infamiam reddit. Ista, cùm de re aliqua inter homines est, de ea fidem, aliquando etiam in judicio, faciendi vim habet. Posteriori hōc sensu accepta

Fama est Populi sive alicujus provincie vel loci hominum commune, confians &

fans & publicum iudicium, & assertio de re aliqua. *Specular. Tit. de Notor. crim. §. 3. in Addit. ad n. 1.* cui affinis est Rumor, sive de re aliqua opinio & sermo: non communis, ut Fama: sed particularis sive paucorum. Idem §. 4. & Jordan. Lucubrat. *Lib. 14. Tit. 17. n. 117.*

32. Ut fama fidem in iudicio faciat, non allegari duntaxat, sed & probari debet, & potest per testes: de quorum numero & qualitate DD. variè admodum sentiunt & loquuntur. Frequentiori tamen eorum calculò receptum est. Primò, eam per duos testes legitime probari; quòd, licet inducatur communi & publicè assertionem plurimorum, de istorum tamen assertionem perinde ut, quod instrumentum plucium testium subscriptione, & sigillis munitum fuerit, duorum testimonio iudici plena fides fieri possit, Haunold. *Tom.*

33. *§. de J. & J. tract. 3. n. 333.* Secundò, de ea testimonium perhibentibus deponendum esse, se id, de cuius fama deponunt, audivisse dici publicè & communitat, hoc est, à majori parte populi: neque, saltè in magni momenti negotiis & causis, sufficere, si deponendò solummodo asserant, se id audivisse publicè, vel se ab aliquibus, hanc famam esse, audivisse; quia testes allegare debent scientiæ suæ causam; quæ est sermo de re aut factò publicus & communis, hoc est, majoris partis communitatis. Contrarium tamen, & sufficere, si testes deponant, id à se auditum publicè & à multis asserentibus id communitat, sive à majori parte asseri & credi, suffinet Baldus in *c. Literas 14. hic, num. 2.* cuius hac de re Opinio sectatores non paucos habet, & Romanæ aliarumque Curiarum praxi observatur, ut varii testantur apud *eis. Mascard. Conclus. 750.*

Tertiò, in rebus minoris præjudicii ac momenti: uti & in factis antiquis, quæ hominis ætatem ac memoriam excedunt, de-

ponentes, dicti sui causam sufficientem reddere censei, si asserant, se à majoribus suis intellexisse, de iis publicum & communem populi sensum ac sermonem fuisse; quia in talibus minus accuratæ probationes admittuntur. Quartò, ad ipsos, saltem si à iudice interrogentur, aliquas honestas ac providas personas nominatim; cæteras autem saltem generatim exprimi oportere, post aliquas nominatas addendò, se id ab aliis quoque audivisse. Quintò, de ea deponentium testificationes esse debere concordas: nec sufficere, si variæ & contrariæ sint, & quod aliqui affirmant, alii inficiuntur; quales tamen & sibi adversari non censentur depositiones, quibus testium unus, se id ab his & illis nominatis, alius se id ab aliis nominatim expressis audivisse, asserunt; quia tales depositiones se mutuo adjuvant, ut fama, quam unus depositio sola semiplenè non probat; quòd de populi parte majori non deponat, ita probet juncta cum depositione alterius; quòd personæ ab utroque expressæ simul sumptæ constituent partem populi majorem. Quæ de re latè Mascardus *cit. Conclus. 752.* Haunold. *cit. Tract. 4. à n. 333.* & Engel *ad hanc Rubric. à n. 14.*

Eadem fama etiam probatur per privilegia antiqua & instrumenta, per scripturas authenticas & literas virorum probatorum: non tamen unicas, sed plures & diversorum: nisi privilegium esset Papæ, aut alterius summi Principis, vel ejusmodi instrumentum super ipsa fama confectum fuisset, Mascard. *de Probat. conclus. 752. à num. 1.* junctâ Additione, quæ fama hujusmodi per instrumentum meliùs, quàm per testes, dicitur probari.

Fama legitime probata in causis Criminalibus nec plenæ, nec semiplenæ probationis vim habet, ad effectum pœnæ infligendæ; quòd ad hunc effectum liquidæ & luce cla-

- Juce clariores probationes exigantur, *l. fin. C. de Probat.* Solam etiam, si indicis & ad-
miniculis aliis non adjuvetur, aut valde ve-
hemens non sit, ad personam eam gravatam
torturam non sufficere, Felini in *c. Veniens*
10. de Test. & attest. n. 11. Baldi in l. Testium
3. ff. de Testib. Clari §. fin. q. 12. num. 1.
37 & aliorum communis est doctrina. Non
tamen etiam in hujusmodi causis omni
caret effectu; cum ex ea procedi valeat
ad inquisitionem specialem in personam
diffamatam: imò huic indicii valeat pur-
gatio canonica, *can. Presbyter, 2. q. 4.*
& ante hanc suspensioni ab officio & be-
neficio sit locus, *c. Inter 5. de Purgat.*
Canon. cit. Felinus num. 14. Mascard.
Conclus. 755. à n. 19. & Haunold. n. 354.
38. In Civilibus causis legitime probata
plerumque vim obtinet probationis se-
miplenæ, ut colligitur ex *l. Testium cit.*
§. 2. verbis, Consentiens fama confirmat
rei, de qua quaritur, fidem: quibus se-
miplenæ probationis vis denotatur; ut
fama, licet sola rei fidem regulariter non
faciat, unius tamen de veritate deponen-
tis testimonio vel scripturæ privatæ ac-
cedens, eam ad plenam fidem faciendam
confirmet, *citr. Mascard. Conclus. 754.*
n. 11. & Haunold. n. 354.
39. Quibusdam, licet minus frequentibus,
casibus plenam fidem facit, v.g. cum
alicujus loci Consuetudo, populi Opinio,
communis loquendi usus sive significatio
est probanda: quando agitur de vitan-
do peccato v.g. ut impediatur matrimo-
nium, propter consanguinitatis, vel aliud
impedimentum dirimens inter personas
contrahentes intercedens: in factis anti-
quis: in rebus occultis &, quæ valde
difficilis sunt probationis: in rebus mo-
dici præjudicii, & in nonnullis aliis cau-
sis, à *citr. Mascardo à n. 7. relatis.*
40. Semiplena probatione minorem vim
etiam in causis Civilibus habet, quando

istæ valde arduæ & magni præjudicii
sunt, aut fama à malevolis, maledicis, aut
levibus hominibus orta est, vel propaga-
ta: quando testes de ea deponentes non
sunt omni exceptione maiores, aut ipsa
verisimilis non est; quòd non solum aliis
adminiculis non adjuvetur, sed argumen-
tis & præsumptionibus in contrarium
militantibus infirmetur: de cujusmodi
fama loqui videntur DD, qui ei semi-
plenè probandi vim in Civilibus quoque
causis negant apud *citr. Mascard. n. 4.*
& Jordanum à *n. 138.*

ARTICULUS IV.

De Probatione Ætatis,

SUMMARIUM.

41. Ætatem probat, qui eam pro se in
adversarii præjudicium allegat.
42. Sive pro aliquo consequendo,
43. Sive pro alio impediendo,
44. Sive actum impugnando eam alle-
gat.
45. Nisi præsumptionibus pro se militan-
tibus adjuvetur.
46. Probatur testium depositionibus,
47. Fide instrumentorum,
48. Juris vel hominis præsumptionibus.
49. Computanda ætas est, non à conse-
ptionis,
50. Vel Baptismi suscepti,
51. Sed à natiuitatis die.
52. De ætatis annis lege præscriptis præ-
gnantes DD Regula.
53. Verba admittentia ultimum annum
inchoatum,
54. Eumque exigentia completum,
55. Qualis in dubio fere exigitur.
56. Ultima tamen ejus dies inchoata
favorabilibus sæpe pro completa
habetur.

Frequent

41. **F**Requens in & extra iudicium mentio aut controversia est ætatis, de cuius probatione agendi occasionem præbet, *in presentia 8.* sui rerumque suarum Monasterio facta oblatio, minoris ætatis prætextu impugnata, & ob legitimæ probationis defectum per sententiam confirmata. Unde

Dubium oritur primò, cui ætatis probatio incumbat. Qua in re variæ & inter se pugnantes sunt DD. opiniones, quarum confutationi, aut in concordiam reductioni immorari cum à propolitæ brevitatis studio alienum sit, à doctrina *n. 9.* tradita & *c. cit.* decisioni consentanea non recedendum, & statuenda

Regula generalis est, ætatem tam majorem, quam minorem, probandam ab eo, qui sive agendò sive excipiendò eam tanquam suæ intentionis fundamentum allegat, ut cum Panormit. *in c. cit. n. 28.* Beroio *ibid. num. 201.* Bartolo *in l. De atate 43. ff. de Minor. n. 12.* & Saliceto *in l. Cum te 9. C. de Probat. n. 1.* tradunt Oddus *de Restit. in integ. p. 1. q. 37. n. 3.* & Mascard. *de Probat. conclus. 666. num. 1.* & alii, eam desumentes ex *c. in presentia cit.* in cuius textùs casu in minoris ætatis probatione deficientes succubère: ex *l. De atate cit. l. Si minorem 4. C. de In integ. restit. min. & l. Eam te cit.* quibus locis ejusdem ætatis probatio imponitur in integrum restitutionis auxilium imploranti. Ratio est partim; quia quilibet probare tenetur fundamentum suæ intentionis, sive id, quod circa rem in iudicium deductam in alterius præjudicium asseverat, *l. Ei incumbit 2. junctâ Glosâ, V. Eodem, ff. de Probat.* ut dictum *à n. 8.* partim verò; quia, ætatem in iudicio allegans, allegare in eo dicitur tempus: quod, cum intentionis vel exceptionis est fundamentum, probari est necesse, *l. Eum autem 17. ff. de*

Negot. gest. Antonell. Lib. 1. de Temp. Legal. cap. 12. n. 1.

Quoniam verò, sicut cæteræ pleræque, sic & hæc Regula perpetua non est, sed quandoque fallit, pro ejus declaratione referre juvabit nonnullos casus, ætatis probationem exposcentes.

Primò ergo ætas aliquando allegatur ad ostendendam habilitatem ad alicujus consecutionem: quò casu illius probatio incumbit, id consequi volenti; sic enim ad sacros Ordines vel professionem Religiosam admitti, aut beneficium, vel dignitatem Ecclesiasticam consequi volens, ætatem Canonicam se implevisse, vel attigisse, probare debet: ut Apostolica aliarumque Curiarum Ecclesiasticarum nota praxis docet. Sic etiam, si ex voluntate testatoris Titio restituenda hæreditas, aut legatum præstandum sit, *Cum impleverit annum viceimum primum, Titius*, si illius restitutionem, vel istius præstationem petat, eam ætatem exactam probare tenetur, *l. Ex his 5. C. Quando dies Leg. ced.* eodémque modò impuberi, *Si in atate pupillari decesserit*, substitutus, si ex substitutione ad hæreditatem admitti velit, institutum in ætate pupillari decessisse, probandi onere gravatur, *Covarruvias Lib. 2. Var. cap. 5. num. 7.* & *Menoch. Lib. 2. presump. 50. num. 33.* quia his casibus ætas fundamentum est intentionis & rationem habet conditionis: suæ autem intentionis fundamentum, & conditionis eventum, qui hunc asserit, probare tenetur, *l. Ei incumbit & l. Ex his cit.*

Secundò, aliquando ætas allegatur ad impediendam admissionem ad officium vel munus v.g. iudicis, procuratoris: quò casu non, ad hoc admittendus ætatem, Jure requisitam, sed minorem, sive Jure præscriptæ ætatis defectum probare tenetur, qui hunc opponit; cum in hoc ejus intentio

T

intentio

intentio fundetur, *cit.* Mascard. n. 44. Menoch. n. 30. Secus est, quando ætas minor sive, Canonice ætatis defectus, opponitur ad impediendam alicujus electionem, istius confirmationem aut, alicujus beneficii, vel officii Ecclesiastici collationem; quia in hujusmodi spiritualium consecutione à sacris Canonibus requisita ætas semper, eoque etiam casu probanda est, quò nemo se opponit, ad detrimenta Ecclesiarum & animarum pericula facilius excludenda; Salicet *l. cit.* n. 5.

44. Tertiò, ætas aliquando allegatur ad actum jam perfectum impugnandum, aut irritandù, v.g. ad ostendendum testamentum, vel collationem Jure non subsistere, aut esse obnoxium rescissioni: quò casu actum ex ætatis defectu impugnantibus probationem incumbere, certum & non obscure proditum est, *c. In presentia cit.* ubi oblationem sive donationem Monasterio factam minoris ætatis allegatione impugnans succubuit; quòd defecerit in ætatis illius probatione. Idem aperte traditur, *l. Si minorem cit.* quò loco adversus contractum aliùve actum in integrum restitutionis auxilium imploranti minoris ætatis probatio imponitur. Ratio est non solum; quòd ætas illa fundamentum sit ejusmodi implorationis: sed etiam; quòd actum jam perfectum impugnans, sive eum ob ætatis defectum invalidum, vel restitutioni obnoxium asserens, contra se habeat præsumptionem, quòd actus, debitam formam habens, cum persona legitima etiam quoad ætatem celebratus præsumatur, *l. Ab ea parte 5. pr. ff. de Probat.* Decius *in t. cit.* n. 10. Salicetus *in l. Cùm te cit.* n. 5. Mascard. *Conclus. cit.* n. 8. & Menoch. *cit. præf.* 50. n. 22. hinc rectè inferens, electionem confirmatam & institutionem in beneficio, testamentum vel contractum ex defectu ætatis impugnanti isti-

us suæ allegationis probationem incumbere.

Quartò, ætas allegari potest ad actus perfecti justificationem, ut cum tutor pupillo, vel minori curator datus est, & datio arguitur nullitatis; quòd is, cui tutor vel curator datus est, jam sit major; quò casu non ei, qui tutorem vel curatorem dedit, minoris: sed majoris ætatis probatio incumbit dationem illam impugnanti, *l. Scia 26. ff. de Tut. & curat. dat.* Ratio est, quòd ejus intentionis major ætas sit fundamentum, & ex ipsa tutoris vel curatoris datione & in hac interveniente judicis decreto minoris ætatis orta præsumptio majorem probandi onus transferat in contradicentem, juxta dicta n. 15. & tradita à *cit.* Saliceto n. 6. Mascard. n. 10. & Menoch. n. 28.

Illud etiam probè notandum est, tatis probandæ onere à Jure gravatum, istò aliquando liberari beneficio præsumptionis, pro ipso militantis; quòd v.g. ipse habitus corporis majorem vel minorem ætatem aspicientibus exhibeat, *l. Minor 32. pr. ff. de Minoribus*; quòd ei tanquam minori curator, non respectu alicujus causæ duntaxat, sed simpliciter sit datus, *l. Cùm te cit.* quòd pro ipso super ætate lata sit sententia; hanc enim quoad illius temporis ætatem fidem etiam in alio judicio facere, cum Bartolo *in l. De ætate cit.* notat *cit.* Menoch. n. 42.

Dubium secundò est de modis probandi ætatem: qui tres præcipue sunt Testimonia, Instrumenta, Præsumptiones.

Et imprimis quidem, ipsam testimonii probari, liquet ex *l. Omnes 2. C. de His, qui ven. et. puta, parentum, consanguineorum, domesticorum*; quia filii ferè nascuntur intra secreta domorum: et autem, quæ domi & in secreto sunt, personarum in domo habitantium, eamque frequentantium testimoniis probantur, *l. Et*

1. Ex consensu 3. §. 6. V. Super plagis C. de Repud. cit. Mascard. Conclus. 688. n. 7. & Menoch. pref. 5. n. 14. ubi uterque testimonium patris, super ætate filii deponentis, regulariter semiplenam, & alterius testimonio, vel adminiculis aliis accedentibus plenam probationem facere docet: idemque de obstetricum, nutricum & similibus depositionibus tradit Oddus p. 1. cit. q. 37. à n. 39.

47. Deinde instrumentis ætatem probari, desumitur à paritate testimoniorum; quod instrumentis eadem probandi vis, quæ testimonio depositionibus, adstruatur, l. In exercendi 15. C. de Fide instrum. ut, si super ætate publicum vel authenticum instrumentum producat, fidem de illa faciat plenam, c. Scripta 2. de Fide Instrum. §. l. Cum precibus 18. C. de Probat. Eadem autoritate & probandi vi pollent Liber & Acta publica civitatis vel oppidi ab Actuario aliòve officiale publico descripta, arg. l. Etiam 16. ff. de Probat. cit. Mascard. Conclus. 671. num. 7. & Menoch. pref. cit. n. 4. & non minor, quam huiusmodi actis, solet adstrui libro Parochiali, in quo sacro fonte lustratorum nomina, cognomina, nativitatis, aut saltem Baptismi tempus ab ipso parcho adnotantur; quòd, cum ista in libro illo describere ad ejus officium pertineat, ex decreto S. Synodi Tridentinæ Sess. 24. cap. 2. de Reformat. matr. consuetudo in eo descriptis eandem vim contulerit, quam libro alterius publici officialis, cit. Mascard. Conclus. 672. num. 18. & Antonell. de Temp. Legal. Lib. 2. cap. 13. num. 9. Minorem, & filii sui ætatem semiplenè duntaxat probandi vim libris parentum, sive adhuc superstitum, sive ab humanis exemptorum, tribuit communis sententia DD. apud cit. Menoch. n. 10. & Oddum n. 90. adhibita distinctione tali libro in præjudicium tertij extranei modi-

cam: in istius autem favorem contra filium suum, uti & pro isto in præjudicium ipsius patris scribentis plenè probandi vim non male adstruentium.

48. Demum præsumptionibus fundatis in iudiciis & conjecturis per aspectum ocularem ex habitu corporis, specie vultus, colore capillorum &c. l. Minor 32. ff. de Minoribus: ex quibus de ætate, ob modicum excessum non ab omnibus cognoscibili, solus iudex conicit; quòd, si personam oculis ipse non contempletur, facile decipiatur: nisi, qui de huiusmodi ætate ex aspectu testificatur, etiam non interrogatus dicti sui reddat rationem, Bartol. in l. De ætate cit. n. 9. & Menoch. Præsumpt. cit. num. 58. De ætate verò propter magnum excessum ab unoquoque facile cognoscibili iudex non ex suo tantum aspectu pronuntiabit: sed aliis quoque ex illo deponentibus & dicti sui verisimilem rationem reddentibus fidem habere debet; quòd de his, quæ sensu corporeo communiter percipiuntur, testes deponere & ex aspectu desumptæ præsumptionis suæ verisimilem rationem reddere facile possint, cit. Mascard. Conclus. 667. n. 11. & Menoch. n. 63. quis modicus, aut magnus excessus sit, cum Bartolo in l. De ætate cit. n. 10. latè declarans.

49. Dubium tertio est, à quo, Conceptionis, Nativitatis vel Baptismi die ætas sit computanda. Ab ipso conceptionis die, si id utile sit ei, de cuius ætate quæritur, eam computandam, cum Glossa in Cancell. Apostol. Reg. 17. existimat Oddus de Restitut. in integ. p. 1. q. 2. n. 48. quòd is, qui in utero est, in favorabilibus pro nato habeatur, l. Et servorum 5. §. 2. §. l. Qui in utero 7. ff. de Statu hom. At, licet hoc ita sit, & fœtus in utero quoad privilegia libertatis, ingenuitatis &c. ut ita dicam, legitimitatis pro jam nato reputetur:

T t 2

putetur: & ex vivo testatore conceptæ proli successio ab intestato deferatur, §. Sui 2. & §. Et licet 8. Instit. de Success. ad intest. quoad ætatem tamen aliòsque Jure non expressos effectus eam, etiam in favorabilibus, præsertim quoad Ordinum & beneficiorum Ecclesiasticorum collationem pro jam nata habentium Opinio à vero ad eò deviat, ut eà nihil falsius esse asserant Covarruvias p. 2. de Sponsal. cap. 3. §. 2. num. 3. & Sanchez Lib. 4. Moral. cap. 35. n. 4. quòd conceptionis dies omnino incerta; atque idcirco generali usu receptum sit, ætatem à Nativitatis die computandam, juxta l. Denique 3. §. 3. ff. de Minoribus.

50. Idem cum his quoad temporalia sentit: quoad spiritualia verò ab ipsis dicitur Corradus Prax. Benefic. Lib. 4. cap. 6. n. 22. & cum Gonzalez in Reg. 8. Canonell. Gloss. 9. §. 1. n. 108. ætatem in spiritualibus à Baptismi suscepti die computandam, ait; quòd illius susceptione homo spiritualiter renascatur, c. Debitum 4. de Baptismo: & ætatis ad Ordines, beneficia & professionem Religiosam requisitæ probationem ex libro Baptismali peti, & à proprio parochò defumi consuevisse, ex variis Rotæ decisionibus con-

51. stet. Sed, est hoc plerumque fiat; quòd infantes, si commodè valeant, fere ipsò, quò in lucem editi sunt, die sacro fonte abluantur: & ætatis probatio ex libro illo de promptà expeditur plerumque non sit: casu tamen, quò de die natali, baptismalem antecedente, sive ex libro illo, sive aliunde legitime constat, canonicæ ætatis computationem ab ipso natiuitatis die inchoatam, sicut in temporalibus, sic etiam in matrimonio tam spirituali, quàm carnali, in Ordinum susceptione & collatione beneficiorum & spiritualibus quibusvis attendendam, cum Baldo in c. Cum in cunctis 7. pr. de Elect. n. 5. Mandosio

de Ætat. minor. cap. 1. n. 25. Garcia p. 2. de Benefic. cap. 4. n. 89. & aliis docet Fagnanus in pr. cit. n. 133. id firmans declaratione S. Congregat. Cardinal. Trid. Interpp. quæ super casu provisi de Canonatu, annexum habente Ordinem Presbyteratus, ad quem is intra annum promoveri poterat, si ætas à natali, non etiam si à baptismali die computaretur, consultata & interrogata, à qua die ætatis computatio faciendâ sit, respondit, à natali, non à baptismali. Ratio est partim; quòd, cum ab ætatis computandæ Regula Jure prodita, l. Denique 3. §. 3. cit. & generali usu approbata in spiritualibus recedendum, ullò canone expressum non sit, neque efficaci ratione suadeatur, ei in his quoque sit inhærendum: partim verò; quòd à natiuitate facta ætatis computatio accommodata sit omnibus: non etiam, quæ sit à die collati baptismi; cum iste plerumque tardius, non rarò post aliquot dies, & post complures vitæ annos suscipiatur à Neophytis: quibus ad Religionem, sacros Ordines & beneficia Ecclesiastica aspirantibus à baptismali die inchoata ætatis computatio æquò durior foret.

Dubium quartò est, an, si canone, lege, statuto, aliâve dispositione ad dignitatem, munus, vel actum aliquem certorum annorum ætas exigatur, ultimus annus esse debeat completus, vel sufficiat inchoatus. Quæ in re pugnantibus Regularum statuunt DD. quibusdam completum exposcentibus cum Decio in c. Cum in cunctis 7. de Elect. n. 48. Navarro de Temp. Ordin. consil. 9. Steph. Gratiano Disciplin. forens. cap. 946. n. 31. & Flamin. Lib. 12. de Resignat. q. 8. n. 2. Aliis inchoatum admittentibus cum Zerola Prax. Episc. V. Ordo, §. 1. Cavall. Commun. Opin. q. 523. & aliis relatis à Barbola de Offic. Episcop. alleg. 16. num. 1. in fine. Quorum Regularum vel Opinionum altera re-

cera respicienda tunc demum est, quando certum ætatis annum exposcentis mentem non satis produunt verba legalis vel alterius dispositionis; quæ non raro annum solummodo inchoatum perspicue admittunt vel excludunt.

§3. Et inchoatum quidem ferè admittunt verba, *Si attigerit annum, c. Cum in cunctis cit. §. Inferiora: Si venerit ad annum, & aliquando etiam, Si pervenerit ad annum;* cum, qui annum *vg. vigesimum* attingit, aut in eo est, ad eum pervenisse videatur, saltem in favorabilibus *l. Si filium 78. §. 1. ff. ad S. C. Trebell. & l. Ad Rempublicam 8. V. Annus. ff. de Muner. & honor. licet alias Pervenienti verbò regulariter perfectio significetur. l. Non putabam 48. ff. de Condit. & demonstr. Bartol. in l. Si filium cit. n. 1. Tufchus Pract. V. Dicitio, concl. 328. n. 1. & Bruneman in l. cit. n. 5. Inchoatum etiam annum denotant verba, *Si sit in anno, Clement. fin. de Ætat. & qualis, ubi. Glossa V. In decimo octavo, Panormit. n. 6. & Barbofan. 8.* Si annus exprimitur cum dictionibus *Ante, Ad, Intra* vel *Infra, Juxta;* quia præpositionibus istis denotatur tempus imperfectum, *Surdus decis. 178. n. 3. & Antonell, Lib. 4. de Temp. legal. cap. 1. n. 13.* quod ferè etiam importatur, si annus exprimitur ablativò singulari, *citt. Bartol. n. 1. Surdus n. 4. & Antonell. n. 14.* Nisi verbò aliquò adjunctò *vg. Si anno vixerit, steterit, perseveraverit,* completum tempus significetur.*

§4. Completum autem ultimum annum exposcent verba, *Si expleverit, excefferit, exegerit, c. Cum in cunctis cit. pr. Trid. Sess. 25. cap. 7. & 15. de Regular. Si major vel etiam, Si non minor sit 20. annis, cap. 7. cit. Sess. 24. cap. 12. de Reformat. & l. Denique 3. §. 3. ff. de Minoribus, Garcias p. 7. de Benef. cap. 4. n. 67.* Si anno præponatur dicitio *Post,* quæ extremitas

& lapsus totius temporis significatur, *Bartol. in l. Mutuum 2. §. 3. ff. de Reb. credit. vel dicitio Per;* quia hæc præpositio totius temporis continuationem & perfectionem denotat, *l. Urbana 166. in fine. ff. de V. S. Tufchus V. Dicitio cit. conclus. 324. à n. 1. uti & præpositiones A, Ab, vel Ex,* quando ponuntur pro *Post,* pro qua dictione sumptæ separant & expressum tempus excludunt, *l. Pater 30. §. 1. ff. ad L. Jul. de Adult. & l. Neminem 64. ff. de Decurionib. Tiraquell. de Repr. ad. §. 1. gloss. 11. à n. 4. Si certorum annorum mentio fiat in genitivo numeri pluralis, *vg. Si sit 20. annorum, l. Is cui 49. pr. ff. de Legat. 1. can. Subdiaconus 4. junctâ Glossâ. V. Non minor, dist. 77. & cit. Gloss. V. In decimo octavo, Bartol. in l. cit. n. 1. & ferè quoties certi anni præscribuntur in numero plurali *vg. Si habeat annos, Si vixerit, aut steterit annis Trid. cit. cap. 7. & 15. cit. Surdus n. 7. & Antonell. n. 16.***

Si certum annum præscribentis mens & verba sint ambigua, recurrendum est ad allegatas DD. Regulas, & præferenda prior; ut, licet in favorabilibus aliquando annus inchoatus pro completo habeatur, *arg. §. 1. l. Si filium & V. Annus l. Ad Rempublicam cit.* Regulariter tamen in plurium annorum termino ultimus annus ad extremum diem completus exigatur; cum; quòd Regula prior in multò pluribus casibus verificetur: tum verò; quòd annus in rerum natura non sit, nisi sit integer & perfectus, *citt. Surdus num. 12. Gratian. n. 31. & Antonell. n. 7.*

Is autem casibus, quibus annus completus exposcitur, ultimum diem inchoatum pro completo in favorabilibus; non etiam in odiosis regulariter habendum, cum Bartolo in *l. Denique cit. §. Minorem n. 2. Baldo in l. Is cui cit. Oppos. 3. Duareno in l. cit. §. Dixi;* advertunt laudati Gra-

dati Gratian. cap. 161. n. 27. & Antonell. n. 2. sic enim matrimonium à mare 14. & à foemina 12. anni die ultimò contractum, eodémque conditum ab illis testamentum, propter specialem utriusque favorem, c. fin. de Sent. & re judic. Jure subsistunt, l. A qua aetate s. ff. Qui test. fac. poss. ut in c. fin. de Despons. impub. Panormit. n. 6. & Joan. Andr. n. 3. & in l. cit. Bartol. & Bruneman. uterque n. 1. advertunt: & contra sponsalia casu, quò prudentia aetatem non lupplet, septimi, & Professio Religiosa decimi sexti aetatis anni ultimò die contracta vel emissa valore destituuntur, ex doctrina Sanchez Lib. I. de Matrim. disp. 16. n. 4. & aliorum ut infra suis locis statuetur.

ARTICULUS V.

De Probatione Filiationis.

SUMMARIUM.

37. Celebris casus controversae filiati-
onis.
38. Matræ probatio certa:
39. Patris serè presumptiva tantùm
habetur.
40. Filius mariti esse presumitur in ejus
domo natus ex uxore.
41. Etiam adultero polluit à ab alio,
42. Et prolem ex adulterò conceptam
asserente:
43. Imò & si maritus uxori non semper
cohabitavit.
44. Et proles adultero similior sit, quàm
marito.
45. Prolem ex concubinario potius,
quàm alio conceptam, hominis
duntaxat presumptio est.
46. Filius quis ex nominatione cum

trañtatione & educatione con-
juncta;

67. Non ex sola nominatione presumi-
tur.
68. Fama aliis adminiculis accedenti-
bus:
69. Non sola filiationem plenè probat.
70. Filiatio etiam ex Actu publico &
probat.

ETiam hujus articuli discussione an-
sam dedit propositæ Rubricæ c.
Per tuas 10. subjectum percelebre
Innocentii III. Rescriptum super
casu, quò Bertha à Titio post septem an-
norum concubinarum, nullâ prole suscep-
tâ, divertens, ad eumque, non multo tem-
pore exactò reversa peperit Cajum, eum-
que ex Titio susceptum, constanter asser-
ruit: & ab isto multis precibus devictò
obtinuit, ut Cajum filium suum publicè
recognosceret, nominaret, isque pro tali
communiter ab utroque haberetur, do-
nec Cajum Sophiæ Titii ex sorore nupti
matrimonio conjungendi occasio esset;
hâc enim oblata varians Bertha Cajum
non ex Titio, sed ex alio viro susceptum,
ullâque contanguntate Sophiæ non con-
junctum, publicè & cum juramento est
confessa. Super quo casu ad se delato
laudatus Papa rescripsit, Cajum pro So-
phiæ consobrino, & ad matrimonium
cum ea incundum de Jure inhabili habend-
um, ex præsumptione orta ex præmissis
& quò secundum leges etiam Civiles, &
Generaliter 13. C. de non numer. pec. Ni-
mis indignum sit, quod suâ quisque voce
dilucidè protestatus est, id in eundem ca-
sum infirmare, testimonioque proprio ve-
sistere. Pro cujus Apostolica & in præ-
utilissima decisionis declaratione

Dubium & quæstio est, an filiatio & quomodo probari valeat. Est autem probatio alia Vera & certa, alia solummodo
Presum-

Præsumptiva. De vera receptum ob omnibus latissimumque discrimen est inter patrem & matrem; eum certa istius semper, *l. Quia semper 5. ff. de In ju voc. illius* autem sive patris probatio certa haberi nunquam possit, *L. Lucius 83. ff. de Con- 59. dis. & demonstr. extra casum*, quod mulier cum viro carcere alióve loco, in quem ingressus omnibus aliis est præclusus, integrò annò, duobusque fidissimis custodibus adhibitis, detenta imprægnatur & prolem suscipit; hanc enim ex viro secum conclusò à muliere conceptam, certa & indubitata probatio habetur, si duo cultodes totò annò neminem alium in locum ingressum & quem ipsi non viderent, ingredi potuisse, jurati in iudicio deponant, ut cum Bartolo in *l. 1. C. Quorum bonor. n. 1. observant Mascard. de Probat. conclus. 787. n. 9. & Menoch. de Arbitr. casu 89. n. 18.* Extra hunc ergo casum filiationis probationem veram certamque respectu patris haberi, uno ore inficiantur omnes, juxta illud Homeri de Telemacho cauentis,

*Ex illo natum mater me dicit :
At ipse*

*Nescio; nam certum quis possit ferre
parentem.*

Quare respectu patris filiatio probanda est conjecturis ac præsumptionibus, quæ ex variis indiciis, causis & circumstantiis nascuntur.

60. Et primò quidem filius alicujus Jure præsumitur, qui in marito domo natus est ex uxore, cui is generationis potens cohabitavit, *l. Filium 6. pr. ff. de His, qui sui vel alien. jur. & l. Si vicinis 9. C. de Prob.* ut, licet uxorem fuisse adulteram, & concepta proles tempore consuetudinem cum adultero habuisse, legitimè probeatur, proles tamen ex marito potius, quam adultero concepta intelligatur, Baldus in *Rubr. C. de Probat. n. 6. & Menoch. Casu*

cit. n. 23. Imo etiam, si mater ipsa filium ex adulterio susceptum in ipso vitæ exitu profiteatur, *l. Si instituta 27. §. 1. ff. de Inoffic. testam. cum;* quòd, licet eo tempore salutis suæ immemor nemo præsumatur, in alterius tamen præjudicium, ad eumque à filiationis possessione dejiciendum, fides ei non habeatur, *l. Si quis in gravi 3. §. 1. ff. ad S. C. Silan.* tum verò; quòd mater testis sit singularis & propriam turpitudinem alleget; ac proinde in alterius præjudicium non probet, *e. Licet 23. de Test. & attest. & c. Inter 8. de Donat.* ut adeò nec filius, se ex adulterino concubitu procreatum, asserenti matri suæ credere, neque ut à paterna successione vel majoratu ablineat, vel restitutionem faciat, suadenti morem gerere in conscientia teneatur, Glossa in *c. Officij 9. V. Deneganda, de Pœnit. & remiss. Panorm. in c. Per tuas cit. n. 5. Covarruvias in Reg. Peccatum p. 1. §. 1. n. 3. & Lessius Lib. 2. de J. & J. cap. 10. n. 51. ut pluribus tradetur Lib. 5. tit. 38. n. 142.*

Extendunt hanc Juris præsumptionem DD. primò, & prolem ex marito potius, quam ex adultero susceptam haberi volunt, etiam si uxor habitavit extradomum mariti, qui tamen ad generationem habilis & ad uxorem (aut hæc ad ipsum) accedere solitus fuit. Ratio est; quòd, cum matrimonio cum tali cohabitatione sive accessu viri ad mulierem concurrente proles ex ipsis procreatio facile sequatur, favor matrimonii, & prolis prævaleat; ut benignâ interpretatione proles ex Jure approbato potius, quam damnato coitu suscepta reputetur & tanquam filius aut filia marito potius, quam adultero addicatur, Palæotus de *Noth. & Spur. cap. 24. n. 1. Menoch. l. cit. n. 25. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 46.*

Extenditur eadem præsumptio secundò & proles ex marito potius, quam ex adul-

ex adultero suscepta creditur, licet huic similior sit, quam illi. Neque id immeritò; quia ea nati similitudo paternæ originis fallax est argumentum; cum foetus imaginem & lineamenta vultûs post aliquot à conceptione menses primùm induat, & plerumque accipiat ex imaginatione materna: & gemellorum ex duplici adulterio conceptorum utrumque patri, & neutrum adulteris, similem fuisse: & contrà procreatos à marito ei sapissimè dissimillimos esse, compertum sit, testibus Plinio *Hist. Nat. Lib. 2. cap. 11.* Menoch. *l. cit. n. 98.* & Zacchia *Q. Q. Medico legal. Lib. 9. consil. 60.*

65. Extenditur eadem tertid, & æquè in filiis ex concubina uxoris locò domi retenta, quàm ex uxore natis procedere, asseritur à non paucis & magni nominis Interpp. ac DD. dudis textu *c. Per tuas cit.* Sed malè; quòd, licet in istius *c.* casu mentio fiat prolis natæ in concubinariï domo, Apostolica tamen Innocentii Papæ decisio *V. Quia verò*, quâ proles pro communi utriusque concubinariï filio habetur, non nitatur prolis in viri domo nativitate: sed matris constanti assertione, hanc ad ejusdem instantiam secuta viri recognitione nominationeque filii, & utriusque prolem pro communi suo filio publicè habentium tractatione. Quare veritè est, prolem, quæ in concubinariï domo à concubina in lucem edita est, ex concubinario potius, quàm alio viro esse susceptam, non Juris, sive à lege vel canone approbatam, sed hominis duntaxat præsumptionem dari. Ratio est; quòd in natis ex concubina cessent causæ, quibus ea Juris præsumptio nititur, scilicet favor matrimonii, quem Jura maximè considerant, *c. fin. de Sent. Eze. judic. & c. Tanta 6. Qui filij legiti.* favor prolis, ut sit legitima, *c. Ex tenore 14. eadem Rubr. & l. Nuper 11. C. de Natural. lib.* & evitatio præ-

sumptionis adulterii Jure approbata, *l. Meritò 51. ff. Pro Socio & l. Quintus 51. ff. de Donat. inter vir. & ux.* Ita Arias de Mela *Lib. 2. Var. cap. 39.* & Gonzalez *in c. Per tuas cit. n. 11.*

Secundò, filius quis præsumitur ejus, à quo filius nominatus, aut istius tractatus & educatus fuit *c. Per tuas cit.* his enim actibus concurrentibus constituitur in filiationis possessione vel quasi; ut verus filius credatur, nisi probetur contrarium, eumque esse filium alterius, vel solius pietatis causâ filium nominatum & filii instar tractatum & educatum, *arg. c. Transmissa 3. Qui fil legiti.* vel eum, postquam aliquot annis ita fuit habitus, tanquam extraneum rejectum acquivisse & in alterius domum se contulisse; itaque filiationis possessione non ejus duntaxat, à quo rejectus est, sed suomet etiam rejectioni acquiescentis factò dejectum, ostendatur; Felin. *in c. cit. n. 14. citr.* Palæotus *cap. 25. n. 7.* & Menoch. *n. 75.* Hujusmodi autem probatione cessante ejus, à quo filius nominatus, & ut talis tractatus atque educatus fuit, quis verè filius esse ita præsumitur; ut, si ex talibus actibus orta filiationis possessione fretus illius defuncti hæreditatem sibi à judicari petat, tituli probandi onere relevetur, idque transferat in adversarium, *arg. l. Circa eum 14. ff. de Probat. Decius in c. cit. n. 9. citr.* Palæot. *cap. 22. n. 5.* & Menoch. *n. 70.* Quin etiam, si quis aliquem domi suæ tractet, ut pro filio haberi videatur, cum, qui ita tractatur, in filiationis possessione constitui, communis est doctrina; ut, licet filii nominatio non accedat, filius tamen verè credatur; & si hæreditatem petat, intentionem suam super filiatione habeat fundatam, illaque ipsi adjudicetur, si contrarium adversa pars non probet.

An nominatione, cum tractatione illa & educatione non coniunctâ, filiatio probetur,

probetur, dubium est facilis resolutionis; cum, filii nominatione, si adminiculata non sit, illam non probari, Regulæ instar desumatur ex *l. Non epistolis 14. § 1. Non audit 15. C. de Probat.* quod ejusmodi nominatio multoties ad alium finem & blandiendi potius, quam veritatis inducenda animò solet proferri. Si verò cum ea alia adminicula concurrant, ut si ea fiat in actu, naturâ suâ cum solis filiis solito exerceat, ut emancipatio & exhereditatio sunt: si quis aliquem filium suum nominet in instrumento publico, vel in iudicio sit confessus: si extra iudicium datâ operâ præsentem filium suum dicat: si ejus nativitatis annum & diem in libro privato adnotavit &c. si, inquam, hæc & similia adminicula cum filii nominatione concurrant, filiationem probari, cum Panormit. in *c. Per tuas cit. n. 8. Decio ibid. n. 7. & aliis tradunt citr. Palæotus cap. 23. n. 2. & Menoch. n. 78.*

68. Tertiò quis filius probatur ex fama, sive communi opinione vicinæ: quâ aliis adminiculis, puta, filii nominatione, unius testimonio &c. corroboratâ, aliquem in filiationis possessione constitui, exploratum est: cum fama ita corroborata in cæteris causis civilibus plenè probet, juxta dicta *n. 36.*

Eâ etiam, aliis adminiculis non concurrentibus, filiationem plenè probari, cum Ant. de Butrio in *c. Transmissa cit.* sustinent *citr. Palæot. cap. 23. n. 2. & Menoch. n. 86. Moventur Jure & ratione: & ex illo quidem allegant c. Per tuas cit. Verba, Filius nominatus communiter fuit: c. Transmissa cit.* quò locò vicinæ fama in filiationis probatione ab Alexandro III. rejecta est, propter contrariam ei viri & mulieris negationem. Unde à contrario ductò argumentò inferunt, negatione illâ semotâ, filiationem per famam legitimè probandam fuisse: & *l. Si mater 6. C. Ne*

de Statu defunct. quâ relatò Imperiali rescriptò famæ seu communi opinioni adstruitur vis aliquem constituendi in quasi possessione ingenuitatis, probandi onus in adversarium transferentis. Rationem reddunt; quòd fama, legitimè probata, fidem faciendi vi non modicâ polleat in iis, quæ difficilis sunt probationis.

His tamen nihil moti Panormit. in *69. c. Transmissa cit. n. 10. & in c. Per tuas cit. Felinus n. 15. Decius n. 8. Gonzalez n. 14. & aliis DD. relatis Matcard. Conclus. 791. n. 5. § 8. supra n. 36. traditæ, & famæ, aliis adminiculis non suffultæ, semiplena probatione majorem vim non adstruunt Regulæ, etiam, cum filiatio probanda est, inhærendum, defendunt, eaque ducuntur ratione; quòd, cum de Jure fama rei fidem solummodo confirmet, *l. Testium 3. §. 2. ff. de Testibus, & can. Testium 3. §. Sape, 4. q. 3.* non ejus fidem sola faciat ut dictum *n. 38.* & filiationem plenè probandi vis ei collata ullò Jure non reperitur, à communi Regula non sit recedendum.*

Neque enim ab ista recessum persuadent Primò *c. Per tuas cit.* Verba, *Filius communiter nominatus fuit;* quia ista non ad vicinæ communem opinionem ac sermonem, sed ad concubenarios, virum ac mulierem, referenda sunt; ut is, de cujus filiatione agebatur, *Communiter*, hoc est, ab ambobus illis, plerumque aut frequenter filius nominatus & habitus intelligatur.

Neque secundò, argumentum ductum ex *c. Transmissa cit.* cum; quia à contrario ad restringendam Juris Regulam non rectè arguitur: tum verò; quia, si eò allegata vicinæ fama, vel potius credulitas, filiationem plenè probandi vim obtineret, tanquam indicium illius certum viri ac mulieris in liberorum causa factæ inficiationi debuisset prevalere.

U u

Neque

Neque tertio, textus *l. Si mater cit.* quia in istius casu ingenuitatis quasi possessionem non induxit fama sola, sed conjuncta cum quinquennii prescriptione, de qua totò titulo agitur; ut ad eò huic proposita dubitationis resolutioni utriusque Juris definitiones patrocinentur potius, quàm aduersentur.

Non magis cum ea pugnat ratio; quia de famæ vi proditam Juris Regulam etiam in his, quæ difficilis probationis sunt, procedere, liquet ex *c. Prætere a 27. de Test. & attest.* quò locò de carnali copula, quæ difficilis est probationis, plenam fidem ju-

dici fama non sola, sed alteri, se solâ etiam non sufficienti, probationi accedens facere asseritur, *cit. Felin. n. 15. & Menoch. n. 6.*

Quartò, filium quem alterius esse, aliquando probari potest ex civitatis vel oppidi Actis, si in his, quinam prolium in lucem editarum parentes sint, ab Officiale publico adnotetur: ex libris Parochorum, patrinorum & parentum etiam nomina describentium: ex instrumentis antiquis, licet verba enuntiativè sint concepta, &c. *cit. Mascard. conclus. 794. n. 11. & Gonzalez n. 14. in fine.*



TITVLVS XX.

De Testibus & Attestationibus.

USu frequentissima & post Confessionem judicialem atque ex oculari inspectione ortam facti evidentiam, cæteris potior Probationum species est, quæ fit per Testes, eorumque vivâ voce factas Attestationes, *c. Joannes 10. §. Porro, de Fide instrument.* Quæ causa est, cur post generalem illarum pertractationem probationibus aliis ipsa præmittatur.

ARTICVLVS I.

De Personis, testificari Prohibitis generatim.

SUMMARIUM.

1. *Quid Testis & Attestatio sit.*
2. *Testificari possunt omnes, Jure non prohibuit.*

3. *Prohibentur infantes, furiosi, imberbes.*
4. *Servi, quibus in hoc Religiosi non comparantur.*
5. *Surdi & muti simul.*
6. *Infames, de Civili Juri:*
7. *De Canonico Jure etiam Falli infamia:*
8. *Excommunicati vitandi:*
9. *Perjuri.*
10. *Homines valde inopes ac viles.*

Testis est Persona, quæ ad fidem de re aut facto aliquo dubio & controverso vivâ voce faciendam adhibetur; Attestatio verò sive testimonium est ejusdem super tali re aut facto assertio, seu depositio, Pirrhing ad hanc Rubr. n. 1.
Debet autem Testis, qui in judicio de-